

39.

Disputatio Theologica
D E
Sanguine Christi

ἱλαστικῶ.

Ex dicto 1. Johan. 1. v. 7.

adornata ἔ

Συνὸ παλάμη τῆ Θεῶ

Ad jussum Reverendæ & Amplissimæ
Facultatis Theologicæ,
*Exercitij gratiâ publicâ disqui-
sitioni subiecta*

Johanne Höpnero S. Th. Lic,
ad D. Th. verbi ministro.

RESPONDENTE

M. Bartholomæo Maiero

Königsheensi Tyrigetâ.

ad diem 19. Januarij loco horis q̄ solitis.

Anno æræ Christianæ 1621.

L I P S I Æ,

EXCUDEBAT JOHANN Glück.

TMd098



Maximè Strenuo ac Nobilissimo

V I R O,

Domino SEBASTIANO

à Rötteritz in Kroptewitz & Sitten/ Serenissi-

mo Electori Saxoniae a Consiliis & Protosynedrij

Dresdensis Praesidi, Ut &

Reliquis Supremi Consistorij Assessori-

bus dignissimis,

Viro Admodū Reverendo,

Nobilissimo Eminentissimoq̄

Dn. MATTHIAE HOE

ab Hoeneegg, S.S. Th. D. ce-

leberrimo, Comiti Palatin. Caf.

Serenissimo Elect. Saxoniae à

concionibus primariis.

Reverendo, Clarissimo &

Dn. AEGIDIO STRAU-

CHIO S.S. Th. Doct. Eccle-

siae Dresdensis Pastori & vici-

narum Superintendententi vigi-

lantissimo.

Magnifico, Consultissimo &

Excellentissimo Viro

Dn. LEONHARTO

KÖPPELIO J. U. D. Sere-

nissimo Electori Saxon. à Con-

siliis in Appella-

tionibus.

Clarissimo, Consultissimo &

Amplissimo Viro

Dn. PAULO NICO-

LAI J. U. D. Serenissimo

Electori Saxoniae à Con-

siliis.

Dominis Patronis & Promotoribus meis

aviternum colendis

Hanc διατριβην Theologicam

In honoris & observantiae τεκμηρίον

offert & inscribit

L. JOHAN. HÖPNER,





עם-אלהים :

I.



Memorabilis omniquè auro & argento pretiosior est sententia Johannis, quæ extat in Canonica ejus cap. I. v. 7.

Τὸ αἷμα Ἰησοῦ Χριστοῦ ἔῤῥυται ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἀμαρτίας.

II.

Cujus analysin hac vice lubet adornare, & quidem περιμετρή. Primò subjectam & prædicatum hujus sententiæ enodabimus: post locos doctrinæ insigniores inde excerpemus: deniq; quæstiones aliquot Theologicas determinabimus, quarum decisionem Spiritus Sanctus in hoc Aphorismo monstrat.

III.

In præcedentibus versiculis exponit Johannes doctrinam Evangelij de persona & officio seu beneficijs Christi: simulquè ostendit modum, qua ratione Christi & beneficiorum ejus participes fieri queamus, nimirum per seriam poenitentiam & fidem in Christum, quam vitæ sanctimonia necessario sequatur.

IV.

Inter beneficia Christi priori loco recenset communionem cum DEO: posteriori loco reconciliationem cum DEO.

V.

Occurrit autem tacitæ objectioni: Quomodo nos miseri peccatores in beatam illam communionem & societatem cum DEO, qui est ignis consumens, coalescere possumus?

VI.

Huic tentationi opponit solidam consolationem ex merito Christi petitam, qui nos sanguine suo Patri reconciliavit, & purificationem peccatorum nostrorum per seipsum fecit. Hebr. I. v. 3.

A 2

VII. Digna



VII.

Digna est hæc consolatio, cujus verba singula ad lancem piæ meditationis appendantur. Constat autem tam subjectum quam prædicatum quinque vocibus.

I. Membrum.

VIII.

Subjectum continetur his verbis: Sanguis Jesu Christi Filij

Subjectum.

DEI,

IX.

Quibus describitur redemptionis nostræ pretium, nimirum sanguis, non quem Sacerdotes Veteris T. obtulerunt Hebr. 9. v. 12. Sed quem Sacerdos Novi T. Jesus Christus in passione sua effudit.

X.

Per sanguinem intelligimus verum humanum sanguinem, cujus *δαίμα* in Incarnatione factus est particeps. Hebr. 2. v. 14.

XI.

Accipimus enim vocabulum sanguinis in propria significatione, & excludimus *Synechdochen* Calvinianam, per quam sanguinem in hoc divino emundationis peccatorum officio volunt exclusum, contra indolem *Synechdoches*, quæ partem, quam non exprimit, non excludit, sed includit: multò minus excludet sanguinem, quem exprimit.

XII.

Et quamvis concedamus, vocabulum sanguinis *συνειδοχικῶς* plura denotare, totam nimirum passionem & obedientiam Christi, non tamen ideò sanguinem excludimus.

XIII.

Si igitur queratur, quid in hac sententia Subjecti loco ponatur? Respondemus, sanguis non nudæ humanitatis, sed unigeniti Filij DEI proprius sanguis.

XIV.

Premant se, in quamcunque partem velint, Calviniani, nullo tamen colore humanam naturam sequestrare, aut per confictos tropos ex communiōne hujus emundationis excludere poterunt.

XV.

Non autem pro nuda humanitate, quatenus consideratur secundum

cundum naturales proprietates, pugnamus, sed quatenus per uni-
onem personalem in intimam & profundissimam cum divina na-
tura communionem pervenit.

XVI.

Atquè ita nonnudi hominis sanguis in Subjecto intelligitur,
sed sanguis Filij DEI, sive ipsius DEI ἰδιον αἷμα, proprius sanguis.
Act. 20. v. 28.

XVII.

Quàm propria enim πρὸς λόγῳ est sua divinitas per essentiam &
tàm propria ei est sua humanitas, eò quòd illam in intimum suæ
hypostaticæ complexum adsumit.

XVIII.

Hinc sanguinem pro nobis effusum, suum sanguinem nomi-
nat. Matth. 26. v. 28.

XIX.

Nec propterea docemus, divinam naturam naturaliter & sub-
jectivè esse passam, qui Patripassianorum & Theopaschitarum er-
ror fuit.

XX.

Sed passum esse λόγον dicimus cum D. Petro in carne. 1. Petr. 4.
v. 1. Humanitas propriè patitur, sed non absquè divinitate, verùm
cum communicatione illius, juxta Canonem Synodi Chalcedo-
nensis.

XXI.

Passus est λόγῳ non secundùm proprietatem suæ divinitatis,
quæ διὰ τὴν ἀπλότητα est ἀπαθή: sed secundùm alium realis attribu-
tionis modum mysterio unionis congruentem.

XXII.

Quem Patres ἰδιοποιῶν nominant, quia ὁ λόγῳ τὰ πάθη τῶ σώμα-
τι δεικνύται, passiones corporis sibi appropriat Theodor. Dial. 1.

XXIII.

Quàm verè enim Filius DEI in personæ suæ unitatem assu-
mendo carnem, sibi eam fecit propriam, juxta illud Athanasij:
αἷμα σαρκὸς αἷμα θεοῦ λόγῳ σαρκὸς: iam verè etiam sibi appropriavit omnia,
quæ carnis sunt, ut quicquid agit aut patitur caro, illud ipsum non
sola caro, sed revera Filius DEI simul agat & patiatur.

A 3

XXIV. Ne

Cyrillus
hunc mo-
dum ap-
pellat di-
spensati-
vam ap-
propria-
tionem In
defensio-
ne Anath.
12. ad Evo-
dium.

XXIV.

Ne igitur hæretici per sanguinem solam humanitatem intelligendam esse dicant, rimam illam Johannes ipsis obstruxit, quando sanguinem illum vocat sanguinem Filij DEI.

XXV.

Et ne alij per Filium DEI solam divinitatem intelligant, vocabulo sanguinis velut indice digito humanam naturam expressit.

XXVI.

Ita in subjecto manet nomen personæ integræ, quæ hîc ab utraq; natura simul denominatur: interdum denominatur ab alterutra tantùm natura.

XXVII.

Sic servatur personæ unitas contra hæresin Nestorij: & retinetur discrimen naturarum contra hæresin Eutythis.

XXVIII.

Prædicatum continetur his verbis:

Emundat nos ab omni peccato.

XXIX.

Hîc tria distinctè veniunt consideranda. 1. emundationis objectum. 2. emundationis effectum. 3. emundationis forma seu modus.

XXX.

Objectum indicatur pronomine Nos, quo innuuntur illi, quibus inscripsit suam Epistolam Johannes: inscripsit autem eam omnibus Christianis per totum terrarum orbem dispersis, quam ob causam hæc Epistola dicitur Catholica.

XXXI.

Notandum verò, Johannem in hoc dicto non exprimere totale objectum redemptionis, quod cap. 2. v. 2. facit: sed ponit Objectum dignius & præstantius. nim. Fideles.

XXXII.

Juxta Basilium enim (in Sermone de humana natura) Inventum est unum pro omnibus simul hominibus dignum pretium, sanguis Domini nostri Jesu Christi, quem pro nobis omnibus effudit, non pro solis Electis omnibus, sed pro omnibus promiscuè. Sol enim justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus

Prædicatum.

1. Emundationis Objectum.

passus est : Si quis autem non credit in Christum , generali beneficio ipse se fraudat , ut si quis clausis fenestris radios Solis excludat.

XXXIII.

Quia autem Johannes de ipso actu emundationis peccatorum loquitur: ideo distinguimus *inter meritum sanguinis Christi, & inter applicationem illius*, quam Scriptura asperisionem sanguinis Jesu Christi nominat. 1. Petr. 1. v. 2.

XXXIV.

Meritum ipsum est universale: Christus enim suo sanguine omnibus hominibus remissionem peccatorum impetravit & acquisivit.

XXXV.

Quo sensu Augustinus dicit, Sanguinem Christi esse redemptionem totius mundi.

XXXVI.

Fructus meriti Christi nemini sine applicatione contingit, ideoque solis fidelibus competit.

XXXVII.

Quia etiam usque ad mortem sanguinem suum profunderere voluit Christus, referenda huc sunt dicta, universalitatem mortis Christi probantia; quam appetijt pro omnibus hominibus Rom. 8. v. 32. 2. Cor. 5. v. 14. 15. Coloss. 1. v. 20. 1. Tim. 2. v. 6. Hebr. 2. v. 9. ne reprobis quidem exceptis. Rom. 14. v. 15. 1. Cor. 8. v. 11. 2. Petr. 2. v. 1. Hebr. 6. v. 6. cap. 10. v. 30.

XXXVIII.

Secundo tribuitur sanguini Christi vis & facultas emundandi nos ab omni peccato. Tempus praesens importat perennem, perpetuum & maxime efficacem actum emundandi peccata.

17.
Emundationis effectum.

XXXIX.

Emundat autem conscientias nostras ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi, Hebr. 9. v. 14. & est unicum remedium & velut panaces animarum nostrarum adversus venenum peccati.

XL.

Hoc coccino & vermiculo tineta & rubricata corda nostra purificantur, & peccata nostra quasi nix dealbantur, & velut lana alba fiunt. Esa. 1. v. 18.

XLI.

XL I.

Emundat sanguis Christi ab omni peccato sive originali, sive actuali, maximo æquè ac minimo.

XL II.

Peccatum in Spiritum Sanctum quod attinet, pro illo quoquè effusus est sanguis Christi: sed quia tale peccatum cum finali impœnitentia est conjunctum, & sanguinem Filij Dei pedibus conculcat; non remittitur, idquè non ex defectu meriti Christi superabundantis: sed ex defectu applicationis, quæ per oppositionem contrarij actus impeditur.

XL III.

III.
Emunda-
tionis forma
& modus.

Tertiò. Formam ac modum emundationis quod attinet, emundat Christi sanguis à peccatis trifariàm, primo *imputativè*, quatenus meritum passionis ac sanguinis Christi *imputatur* Credentibus ad justitiam, qua ratione justificati dicimur sanguine Christi. Rom. 5. v. 9. quæ justificatio pertinet ad efficacem applicationem: Non igitur solo merito sanguis Christi emundat. Proinde Johannes in præsentis loquitur, hoc ipso digito intendens ad efficacem applicationem: siquidem in præsentis tempore sanguis Christi non effunditur.

XL IV.

Deinde *inchoativè*, quatenus per asperisionem sanguinis Christi corda nostra indies magis ac magis à cœno peccatorum repurgantur, ut in expoliatione & destructione veteris hominis salutariter proficiant.

XL V.

Tertiò *consummativè*. Omnimodam enim & totalem à peccatis eorumq; reliquijs purgationem Sancti in triumphante Ecclesia sanguini Christi ascribunt. Apoc. 5. v. 9.

XL VI.

Quia autem per media Christus nobiscum agit, consideranda etiam hoc loco sunt media illa, tam *αεροσφαιρις* quàm *αὐτοκίνητος*.

XL VII.

Media *αεροσφαιρις* sunt Verbum & Sacramenta: ministerio enim Verbi & Sacramentorum velut aspergillo imbuimur sanguine Christi tum in Baptismo: tum in perceptione Cœnæ Dominicæ.

XL VIII.

XLIIIX.

Quàm ob causam mundatio à peccatis ascribitur verbo. Joh. 13. v. 10. cap. 15. v. 3. & baptismo. Eph. 5. v. 26. & Cœnæ Dominicæ, per quam nobis applicatur sanguis ille Novi Testamenti, qui pro nobis effusus est in remissionem peccatorum: Matth. 26. v. 28. Unde etiam Christiani ob dignam perceptionem corporis & sanguinis Christi dæmonibus formidabiles redduntur: Hic mysticus sanguis, inquit Chrysoft. hom. 46. in cap. 6. Joh. Dæmones procul pellit. Dæmones enim cum Dominicum sanguinem in nobis vident in fugam vertuntur.

XLIX.

Medium seu ὄργανον ἀγγελικὸν est fidēs, quā corda & conscientias nostras conspergimus & abluimus sanguine Agni immaculati, quo sensu fides corda nostra purificare dicitur. Act. 15. v. 9.

L.

Cæterum dictum istud quadrat ad singula genera *Communicationis Idiomatum*.

LI.

Subiectum enim, quod quinis constat vocibus, hanc prædicationem involvit: Filius DEI sanguinem suum effudit: quæ prædicationem pertinet ad primū genus *Communicationis Idiomatum*, quia proprietas humanæ naturæ, sanguinis sc: effusio tribuitur personæ Filij DEI in Concreto. Quò etiam referenda est hæc propositio: Jesus Christus effudit sanguinem, in qua sanguinis effusio velut humanæ naturæ proprietas de tota persona enuntiatur. Differt hæc à priori. In priore Subiectum est Concretum naturæ, hoc est, totius personæ natura altera concretivè sumpta videlicet Filius DEI seu ἄβυθ· assumens: In posteriore subiectum est tota persona θεάνθρωπος, quod dicitur concretum personæ.

LII.

Deinde subiectum & prædicatum simul sumpta gignunt talem prædicationem: Christus emundat nos à peccatis, quæ pertinet ad secundum genus *Communicationis Idiomatum*, quia σπολέλεσμα seu ἐπέργημα divinum, nimirum emundatio à peccatis prædicatur de persona ab utraqùe natura denominata, velut opus Mediatoris proprium.

B

LIII.

LIII.

Tertiò tribuitur in hoc dicto sanguini Christi emundatio peccatorum; hæc igitur prædicatio: Sanguis Christi emundat à peccatis; pertinet ad tertium genus *Communicationis Idiomatum*, in quo τὰ θεῖα ἀρχήματα dicuntur de humana natura per realem communicationem ex unione personali resultantem.

LIV.

Sanguis enim humanitatis Christi hoc loco non spectatur in se & secundum essentialia proprietates: Sed secundum hypostaticam ad λόγον unionem, per quam factus est DEI proprius sanguis, cui vis emundandi peccata τῷ λόγῳ propria est communicata.

LV.

II. Mem-
brum.

Acedimus secundò ad Aphorismos, & sequentes ex hoc dicto excerpimus. I. Veritatis humanæ carnis firmissima demonstratio adversus Marcionitas & Manichæos est sanguis, quem Christus pro nobis effudit: quo argumento Irenæus & Tertullianus feliciter contra hæreticos istos pugnarunt.

LVI.

2. Atrocitatem peccati ex medicina æstimare possumus; illud enim nec Brutorum victimis, nec sanguine nudi alicujus hominis, si vel omni careret peccato, expiari potuit: Sed proprio DEI seu filij DEI sanguine.

LVII.

3. Huic igitur victimali sanguini Filij DEI Scriptura ascribit justificationem, Rom. 5. v. 9, & remissionem peccatorum, Ephes. 1. v. 3. Coloss. 1. v. 14. & reconciliationem sive propitiationem Rom. 3. v. 25. & novi fœderis confirmationem. Matth. 26. v. 28. Luc. 22. v. 20. Hebr. 9. v. 15. 18. & vivificationem. Joh. 6. v. 54.

LIX.

4. Unde Johannes, quamvis in textu præcedente nostræ in luce ambulationis meminisset, non tamen eidem emundationem à peccatis transcribit, sed hunc divinum effectum sanguini Christi in solidum vendicat.

LIX.

5. Valeant igitur Papicolæ, qui meritis humanis justificationem

cationem assignant, quod citra abnegationem meriti Christi fieri nequit.

LX.

Tantum enim derogatur sanguini Christi, quantum humanis meritis arrogatur.

LXI.

6. Sanguis Christi est & manet unicum Purgatorium, satisfaciens pro peccatis nostris, & tollens peccatum totius mundi.

LXII.

Pontificium verò purgatorium utpote in meritum Christi sanguinem blasphemum rejicimus, & velut Ethnicam fabulam, quam avari Monachi ex Platonis & Virgilij commentis mutuati sunt, ex proscenio Ecclesiae relegamus.

LXIII.

7. Efficacia, sanguinis Christi inde elucescit, quod non tantum ab Originali peccato nos emundat, sicut Scholastici sub Papatu contenderunt: sed etiam ab omnibus actualibus peccatis, sive ante sive post regenerationem commissis.

LXIV.

8. Quod quidem beneficium non tantum ad Electos se extendit, sed ad omnes homines, peccati mole pressos.

LXV.

Hinc Leo Ep. 81. ad Palæst. Nullius, inquit, infantis occisio fuit propitiatio mundi, sed effusio pro injustis sanguinis Filij DEI justitiam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretium, ut si universitas captivorum in Redemptorem suum crederet, nullum Tyrannica vincula retinerent.

LXVI.

9. Dignè autem ambulemus vocatione nostrâ memores magni & inestimabilis *λύτρωσις*, per quod redempti sumus. Emti estis pretio magno, & non estis vestri, inquit Paulus 1. Cor. 6. v. 19.

LXVII.

10. Ne igitur serviamus peccatis, à quibus Christus nos proprio sanguine suo emundavit: simus autem *ζηλωται* bonorum operum,

B 2

.VXXI

operum, quem in finem Christus nos sibi ipsi mundavit *καὶ ὡς ἑστὶν*
populum instar peculij reconditum. Tit. 2. v. 14.

LXIIIX.

II. 11. Sit quoq; cuilibet fideli religio occidere proximum suum :
seriò perpendamus, quanto scelere se obstringat is, qui fundit san-
guinem ejus, pro quo Christus sanguinem suum effudit.

LXIX.

III Mem- Ex hoc oraculo lubet tres quæstiones controversas dirimere,
brum. quod est tertium & ultimum nostræ *παρρησιας* membrum. Prio-
res duas opponemus Mataeologia Calvinistica. Ultimum oppone-
mus Photinianis.

LXX.

I. Quæstio. Prior conclusio ex visceribus textus eruta hæc esto : Filius DEI
verè sanguinem suum effudit in remissionem peccatorum nostro-
rum : cui æquipollet hæc prædicatio : Filius DEI verè & realiter
pro nobis passus est.

LXXI.

Rationes nostras in *ἀνασκησὴν* contrariæ opinionis ubiq; inter-
spargemus. Contraria opinio Calvinistarum est, qui statuunt,
DEUM seu Filium DEI nec verè nec realiter esse passum, sed nominatenus seu
tropicè, quem tropum alij nominant. Aliaesin : alij Synechdochen : alij Enalla-
gen.

LXXII.

Hanc propositionem : *DEUS est passus : ita resolvunt : Humanitas Deitatis*
unita est passa.

LXXIII.

Subiectum *DEUS* denotat ipsis *totam personam nominaliter, realiter*
verò unam saltem naturam, nimirum humanam, cujus proprietas est pati
ac mori : à divina verò natura passionē prorsus removent, propterea
quod divina natura assumptæ humanitatis proprietates realiter non
communicet.

LXXIV.

Si igitur prædicationem à tropo liberaveris, ita sonabit : *Sola*
humanitas Christi pro nobis passa est : quam thesin alicubi ponit Zyvinglius, in
confess. de Cæna.

LXXV.

LXXV.

Hanc sententiam velut Νεστοριανίζουσαν toto pectore detestamur, & idcirco Calvinianos hæreseos Nestorianæ non immerito accusamus.

LXXVI.

Ex eadem enim radice utraq; hæresis pullulavit: nim. ex negatione veræ & realis Communicationis Idiomaticum. Quicumq; enim negat realem communicationem Idiomaticum: ille negat unitatem personæ in Christo.

LXXVII.

Quem errorem ducenti Patres Concilij Ephesini in Nestorio damnarunt, & ex eo, quod Nestorius Communicationem naturarum & proprietatum negavit immotâ consequentiâ concluderunt, Nestorium esse χειρολόγω, eumq; hæresi sua personam Christi dissolvere.

LXXIX.

Nos contra hunc Nestorianismum ita argumentamur: Si sola humanitas pro nobis passa est, sequetur, personam pro nobis non esse passam: Sola enim humanitas non est persona. 1. Ratio.

LXXIX.

Rursus: Si persona pro nobis non est passa, neq; Filius DEI pro nobis passus est: Filius enim DEI est persona. 2. Ratio.

LXXX.

Ast hoc repugnat Scripturæ, quæ clarè testatur, DEUM proprio sanguine sibi acquisivisse Ecclesiam Act. 20. v. 28.

DEUM proprio suo Filio non pepercisse. Rom. 8. v. 32. Filij DEI sanguinem emundare à peccatis. I. Joh. I. v. 7. Filium DEI tradisse semetipsum. Gal. 2. v. 20. Dominum gloriæ esse crucifixum. I. Cor. 2. v. 8. Principem vitæ esse interfectum. Act. 3. v. 15. nosq; DEO esse reconciliatos per mortem Filij ejus. Rom. 5. v. 10.

LXXXI.

In quibus dictis qui pro DEO ac Domino, pro Filio DEI ac principe vitæ substituunt solam humanam naturam, Illi *συνβλάσει τὰς γραφὰς πρὸς τὴν ἰδίαν αὐτῶν ἀπάθειαν* id est detorquent Scripturas in proprium suum exitium. 2. Petr. 3. v. 16.

LXXXII.

Nos claræ literæ insistentes per Filium DEI intelligimus

Θεὸν ἁγνόν, DEUM incarnatum : personam duabus naturis constan-
tem, & explodimus Synecdochen Calvinianam & quemvis ab
ipsius confictum tropum velut *λομειῶναι τῶν γραφῶν* id est vastatorem
Scripturarum.

LXXXIII.

Necesse est enim, ut per Filium DEI intelligas vel *λόγον* assu-
mentem : vel totam personam, tertium non datur.

LXXXIV.

Si intelligis *λόγον* assumentem, qui velut pars (*ἀναλόγως*) est to-
tius Christi, tunc Synecdochico tropo nullus erit locus. Per nul-
lam enim Synecdochen pars ponitur pro parte.

LXXXV.

Si verò per Filium DEI intelligis personam, neq; sic Synecdo-
che locum inveniet, quia *λόγος* assumens à persona excludi nequit.

LXXXVI.

Deinde humana natura, utpote in se *αὐτοπύσιτος* sola pati ne-
quit, sed passionem ac mortem sustinuit in divino τῷ *λόγῳ* supposito,
in quo subsistit.

LXXXVII.

3. Ratio.

Præterea ut actiones, sic etiam passiones sunt totius suppositi,
non naturarum immediatè. Hinc Lutherus in Majori Confessione:
Quando inquit, opera dividuntur & separantur, tunc persona et-
iam dividitur, cum omnes vel actiones vel passiones non naturis,
sed personæ tribuantur. Persona enim est, quæ omnia agit & pa-
titur : hoc juxta hanc, hoc juxta alteram naturam.

LXXXVIII.

4. Ratio.

Placet etiam Syllogismum Lutheri ascribere.

Hæc persona (monstrato Christo) patitur & moritur.

Hæc persona est verus DEUS.

Ergò verus DEUS patitur.

LXXXIX.

5. Ratio.

Urgemus quoq; hanc rationem contra Neo.Nestorianos :

λόγος finitum non potest placare infinitam iram DEI, nec sa-
tisfacere pro infinita offensa, quale est peccatum,

Atqui solius humanitatis passio est *λόγος* finitum. E. solius hu-
manitatis passio non potest placare iram DEI, nec pro peccatis satis-
facere.

XC.

XC.

Huc pertinet venusta similitudo Lutheri, quam adducit in libro de Ecclesia & Concilijs:

Si in una lance appendantur peccata nostra, & ira DEI peccatis nostris debita, ac in altera lance ponatur tantum humanæ naturæ mors, aut homo tantum pro nobis passus; tunc altera lanx deprimet nos ad infimum usque infernum: Si verò in adversa lance ponatur DEI passio, DEI mors, DEI sanguis, seu DEUS pro nobis passus & mortuus; tunc gravior ac ponderosior fiet lanx illa, quam omnia peccata nostra & universa ira DEI. Ut autem DEUS posset pati & mori, ideò oportuit ipsum hominem fieri DEUS enim in sua natura non potest mori: Sed quia DEUS & homo in Christo jam una est persona, ideò rectè dicitur DEI mors, quando ille homo moritur, qui cum DEO est una persona. Haftenus Lutherus.

XC I.

Quid quæso opus esset appropriatione, quam Græci Patres *ἰδιοποιεῖν* & *ἰδιοποιήσιν* vocant, si passio per allæosin sive Synecdochen soli humanitati esset transcribenda? 6. Ratio.

XC II.

Passio enim convenit humanæ naturæ *ἑστωδῶς*, essentialiter, non autem *ἰδιοποιητικῶς*, appropriativè.

XC III.

Est autem *ἰδιοποιήσιν*, per quam *ὁ λόγος τὰ ἴνα σαρκὸς ἰδιοποιεῖται*, Filius DEI propria carnis sibi appropriat. Theodor. in Epist. ad Epictetum: Verbum siquidem propria sibi fecit omnia, quæ sunt proprii corporis, & quæ animæ, ut ait Cyrillus l. 2. ad Reginas.

XC IV.

Taceo quod error ille gravissimus ipsum fundamentum salutis nostræ eat subrutum: Si enim sola humanitas pro nobis passa est, nondum redempti sumus. 7. Ratio.

XC V.

Quippe cum solius humanitatis mors & passio iudicio DEI opponit nequeat: quod Calvinus non dissitetur: Scribit enim lib. 2. Instit. cap. 17. Fateor, si quis simpliciter & per se Christum opponere vellet iudicio DEI, non fore merito locum, quia non reperietur in homine dignitas, quæ possit DEUM promereri.

XC VI.

XCVI.

Non possumus non adscribere ponderosissima verba Lutheri, quibus Zvinglianam Allæosin jugulat, in majore Confessione: Cave tibi, cave ab Allæosi. Est enim larva quædam Diaboli, quæ tandem talem Christum fingit, secundum quem ego certè nolim esse Christianus. Nam hoc illa vult, quod Christus suâ passione nihil amplius sit & efficiat, quàm alius quispiam sanctus. Si enim persuaderi mihi patiar, solam naturam humanam esse pro me passam, profectò Christus mihi non magni pretij Salvator erit, quippe qui ipse tandem salvatore egeat. Hucusq; Lutherus.

XCVII.

8. Ratio.

Tandem venerandus Patrum chorus sententiam nostram calculo suo munit, quorum testimonia citat Chemnitius l. 2. de duabus naturis c. 16. p. 104. c. 17. p. 112.

XCIIIX.

Vociferantur his adversarij, conquerentes sibi injuriam fieri, se enim libenter concedere & fateri, personam esse passam.

XCIX.

Resp. Dolosè loquuntur, ut in th. 73. monuimus, personam rotam intelligunt nominaliter realiter verò humanam duntaxat naturam, cujus proprietates est pati ac mori: ideo tot rationes cumulant, quibus probare satagunt, passionem soli humanitati esse tribuendam.

C.

I. Sic concludunt: Divina natura τὸ ἄβυστῃ ἐστὶ ἀπαθὴς. Ergo sola humanitas passa est.

Rationes Calviniano- rum

1.

CI.

Resp. Divina quidem natura est impassibilis in sua simplicissima essentia: attamē Deus ἄβυστῃ in propria sua carne tam verè & realiter est passus, quàm Petrus & Paulus in sua carne. Persona enim τὸ ἄβυστῃ omnes injurias & passiones carnis sibi ob factam unionem ὑποσουλικῶν verissimè appropriavit.

CII.

2. Objection.

2. Ita excipiunt: Passionem esse proprietatem humana nature. Ergo divina nature passio attribui nequit.

CIII.

CIII.

℞ Concedimus, passionē non esse proprietatem divinæ naturæ, sed hinc non sequitur, solam humanitatem esse passam: verum Deus revera passus est in propria sua carne: quæ ideò non fuit passio simplex seu finita communis aliis mortalibus; sed passio expiatoria, solius Mediatoris propria. Pati quidem est proprietas humanæ naturæ: sed pati pro peccatis mundi non est proprietas humanæ naturæ, sed est ἀποπέλασμα seu opus, quod utraque natura efficit cum communicatione alterius: τὰ θεῖα ἀνθρώπινως, καὶ τὰ ἀνθρώπινα θεῖως. Neque enim humana natura solummodò ex naturali sua virtute agit, sed etiam ex personaliter sibi communicata virtute ac potentia. Vide Damascen. l. 3. de orthod. fide c. 15. Deindè non asserimus, passionem ac mortem τῷ λόγῳ attribui ἑστωδῶς: sed ὑποστατικῶς καὶ ἰδιοποιητικῶς (non ut proprium, verum ut appropriatum) propterea quod Filius Dei passionem & mortem carnis in divino suo supposito sustinuit.

CIV.

3. *Scripturam pro se allegant, quæ Christum carne passum esse dicitur, 3. Objectio.*
1. *Petr. 4. v. 1.*

CV.

℞ Particula illa est διακριτικὴ ἢ διαεισικτὴ, distinctiva, exponens subjectum, cui passio πρώτως competit: à Calvinianis verò convertitur in χωριστικὴν, id est, exclusivam, per quam alteram naturam prorsus sequestrant.

CVI.

4. *Patrum dicta cumulant, qui solam carnem Christi passam esse scribunt. 4. Objectio.*

CVII.

℞ Videndum, contra quos hæreticos Patres dimicârint. Nam in conflictu adversus Eutychianos Patres rectè dicunt, solam humanitatem, non itidem Deitatem esse passam, quia ibi attenditur discrimen naturarum; latius hæc exclusiva non est extendenda, quàm ut natura naturæ contra distinguatur. Ita Vigilus scribit l. 2. contra Eutych. secundum proprietatem naturæ SOLA caro sepulta est: secundum Unionem personæ Deus est sepultus: Quibus verbis τὴν ἰδιοποίησιν astruit.

C

CVIII. Sic

CVIII.

Sic & reliqui Patres eandem *ἰδιωματισμῶν* constanter docent. Cyrillus in Epistola posteriore ad successum : Sicut proprium ejus effectum est corpus : ita & passiones & idiomata reliqua ejus propria sunt. Vigilus lib.2. f.55. Confixa est divinitas clavis, sed ipsa penetrari non potuit, sicut caro ejus potuit.

CIX.

In certamine autem contra Nestorium execrabilis esset hæresis, docere, solam humanitatem esse passam : ibi enim attenditur personæ unitas, ex qua sequitur communicatio proprietatum & operationum : quæ Unitas dissolvitur, si opera dividuntur & separantur.

CX.

5. Objectio. *5. Sic instant: Si sola humanitas non est passa pro nobis. Ergo dicendam, Deitatem esse passam pro nobis.*

CXI.

R. Propriè loquendo nec sola humanitas pro nobis passa est, nec Deitas : sed tota persona, ipse Dei filius in propriâ suâ carne pro nobis passus est. Est quidem passio proprietas humanæ naturæ, exinde autem non sequitur, solam humanitatem pro nobis esse passam.

CXII.

2. Questio Calvinianis opposita. Posterior conclusio sic habet : sanguis Christi verè obtinet vim emundandi à peccatis, propter realem communicationem Idiomatum, quæ ὁ λόγος vim emundandi peccata sanguini suæ humanitatis communicavit.

CXIII.

Hoc divinum ἀρχημε Calviniani sanguini Christi derogant. 1. idèd, quòd emundatio à peccatis sit proprietas divine naturæ, & ob id humanitati non ascribenda.

CXIV.

R. Eo ipso, quod ὁ λόγος se totum cum omni sua plenitudine assumptæ humanitati communicavit, eidem quoque vim emundandi peccata communicavit, quæ est & manet proprietas divinæ naturæ, quamvis ob vinculum personalis Unionis humanæ naturæ verè & realiter sit communicata.

CXV.2. Non



CXV.

2. *Non erubescunt scribere: sanguinem, quem Christus effudit, computruisse, & jam in tota rerum universitate nusquam inveniri: ideoq; emundare nos à peccatis non posse.* Ioh. Cramerus in Enchir. ubiquit. p. at. 1. f. 158. sanguis iste, qui à peccatis nos emundavit, ratione substantiæ suæ jam in tota rerum natura nusquam est, eo ipso, quia pro nobis effusus, à terra absorptus, & in nihilum redactus est, vide etiam Curæum in Exegesi: & Perkinsum in Cathol. Refor. contr. 10. c. 3. argumento 4.

CXVI.

Rz. Sanguis Christi, utpote redemptionis nostræ precium sanctè asservatur a Deo. Impiæ autem ac profanæ sunt voces dicere, Christi sanguinem pedibus proculcatum, & à terra absorptum esse. Quin potius τὸ ἀφαιεῖν corporis Christi, de qua Psal. 16. v. 10. testatur, etiam ad sanguinem ejus accommodamus, præsertim cum Petrus scribat 1. Pet. 1. in v. 18. nos à φθαρτοῖς redemptos esse, hoc ipso sanguinem Christi ex eodem censu eximens, & cum Christus in cœna sanguinem suum intermediente vino benedicto nobis ad bibendum exhibeat, juxta illud Augustini: Quod fluxit ex Christi latere, bibitur in calice.

CXVII.

3. *Præpendunt: Emundationem à peccatis imperitè tantum sanguini Christi ascribi.*

CXVIII.

Respon. Nemo nostrum emundationem à peccatis nudo sanguini ascribit, vide thesin 54. Sed clarè docemus, emundationem à peccatis pertinere ad officium Christi, quòd exequitur secundum utramque naturam. Impiè verò Calvinii asectæ humanitatem Christi ab hoc divino emundationis beneficio excludunt.

CXIX.

4. *Ita mentem suam explicant: Emundationem à peccatis pertinere ad officium Christi, quòd exequitur secundum utramq; naturam, in qua qualibet natura agit, quæ sua sunt: Humana effundit sanguinem: divina emundat à peccatis.*

C 3

CXX, Respon.

CXX.

R. Concedimus, emundationem à peccatis esse *ὑποτίλισμα*, sed ideò humana natura excludi nequit. Damus & hoc, quamlibet naturam agere, quæ sua sunt: sed addimus ex Canone Concilii Chalcedonensis: *cum communicatione alterius*: quam Damascen. l. 3. de orthod. fide c. 15. pluribus describit.

CXXI.

Humanam enim naturam in officio Mediationis tantùm naturales operationes producere, & supra vires nudæ alicujus humanitatis nihil agere, est *λίαν μέγα αἴτημα*, quod adversarijs nullo modo concedimus: Sed humanitatem cum Athanasio Serm. 4. contra Arrianos: dicimus esse organum, per quod *λόγος* suam *ἐνεργεῖαν* exercet.

CXXII.

In Dialogo de Trinitate 5. scribit: Placuisse τῷ λόγῳ pro bonitate sua, per assumptam humanam naturam, & in ea, & cum ea *πρὸ ἑαυτοῦ δείαν δυνάμιν ἐνεργεῖν*, propriam suam divinam potentiam operando exserere.

CXXIII.

Agit ὁ λόγος τὰ δεικὰ, ἀλλ' ἀνθρωπίνως, id est, Verbum agit ea, quæ divina sunt, sed humanitùs, quia juxta Cyrillum propria sibi fecit omnia, quæ sunt proprii corporis, & quæ animæ.

CXXIV.

Agit humanitas, quæ sua sunt, scil. humana, sed δεικῶς divinitus, quia agit non tantùm ex naturali virtute, sed etiam ex communicata sibi divina potentia inhabitantis τῷ λόγῳ.

CXXV.

Ita Scriptura non modò sanguinem Christi effusum esse testatur, id quod humanæ naturæ competit: sed eundem sanguinem à peccatis emundare affirmat, quod est divinum opus humanitati ex gratia personalis unionis verè ac realiter communicatum.

CXXVI.

Pari ratione de Filio Dei utrumq; pronunciat, & quod à peccatis mundet, & quod sanguinem suum effuderit, animam suam pro ovibus suis posuerit, crucifixus ac mortuus sit.

CXXVII. 5. Pleri-

CXXVII.

5. Pleriq^{ue} personæ hunc salutarem effectum ascribunt, contendentes interim, sanguini Christi hoc non ascribendum, quod à peccatis mundet.

CXXVIII.

R^{espondeo} Sed inane est κενσφύγιον. Aut enim persona Christi est ἑτέρον ἕτερον. id est, quiddam diversum præter duas naturas unitas, quod adversarij non concedent; aut non est, sed potius αὐτὰ φύσεις ἀνωμέραι, id est, ipsæ duæ naturæ unitæ.

CXXIX.

Hæc cum ita sint, sanè ipsis naturis, quatenus unitæ sunt, intercedit communio, sine qua etiam sanguis Christi emundare peccata nequit, licet centies in persona τῷ λόγῳ citra realem communicationem sit effusus.

CXXX.

Conjunge has duas κενσφύγιον Calvinianorū, & apparebit, quomodo interpretamentis suis succum vivificæ hujus consolationis in merum ablynthium convertant.

CXXXI.

Quam enim consolationem hauriet pavida mens ex his glossematis: sanguis Christi non habet vim emundandi peccata; Item: Filius Dei non est realiter passus: nec verè effudit sanguinem suum, imò Filius Dei realiter sanguinem non habet, quod quidam ex illis scribere non exhorruit.

CXXXII.

Dic jam tentato: Noli desperare in peccatis tuis, sed crede, sanguinem Christi pro peccatis tuis effusum. Respondebit tentatus: Quid sanguis Christi prodesset? est solius humanitatis sanguis, vim emundandi peccata non habens.

CXXXIII.

Si reposueris ex mente Calvinianorum: Sanguis quidem effusus non emundat peccata, sed persona, cujus est sanguis, emundat. Regetur tentatus. Atqui persona nullam habet communicationem cum sanguine, quare igitur in sanguine fiduciam meam collocare debeo.

CXXXIV.

Peccata enim, quæ perpetravi, sunt infinita: sanguis autem, in quem

quem fidere me jubes est *λύτρον* finitum, utpote solius humanita-
tis sanguis, quomodo igitur sanguis hic peccata mea expiare po-
terit?

CXXXV.

Ex his manifestò liquet, quomodo Calviniani impuris suis
glossis omnem consolationem afflictis conscientijs eripiant; qua
ratione etiam Photinianis in abneganda satisfactione Christi polli-
cem premant.

CXXXVI.

Illi enim in schola Calvinianorum edocti, nullam esse realem
communicationem naturarum & proprietatum in persona Christi;
adeoque mortem & passionem soli humanitati esse ascribendam;
audacissimè non tantum divinam naturam Christi, sed quoque sa-
tisfactionem ejus pernegant.

CXXXVII.

3. *Questio,*
Photinianis
opposita.

His pestilentissimis hæreticis hanc thesin opponimus: quæ
erit tertia & ultima controversia. Peccatum utpote infinita offen-
sa sanguine Christi velut *λύτρον* infinito plenissimè expiatum
est.

CXXXVIII.

Huic assertioni olim contradixit Petrus Abailardus, cujus ve-
stigia moderni Photiniani premunt, qui statuunt, Christum nequa-
quam sanguine suo satisfacisse pro peccatis nostris.

CXXXIX.

Obiectio. Dicunt enim in primò: *Scripturam nusquam hoc affirmare, quod Christus
sanguine suo satisfacere pro peccatis nostris.*

CXL.

Respon. Solem in meridie lucere negat, qui hoc negat, quod
Scriptura clarissimè affirmat: sine sanguinis effusione non fieri re-
missionem; & effudisse Christum sanguinem suum pro multis in
remissionem peccatorum. Matth. 26. v. 28. Hebr. 9. v. 22.

CXLI.

2. *Obiectio.*

2. *Urgent, vocabulum satisfactionis non legi in sacris literis. Rz. Licet
hæc vox *ἀπολύσις* non extet in Biblijs, reperiuntur tamen vocabula
æquipollentia, qualia sunt, *λύτρον*. Matth. 20. v. 28. quòd significat
satis-*

satisfactionis precium λύτρωσις, Luc. i. v. 68. ἀτιλύτρωσις, Coloss. i. v. 14. ἀτιλύτρωσις. 1. Tim. 2. v. 5.

CXLII.

3. Contendunt, Talem satisfactionem Christi fuisse supervacaneam tūm respectu remissionis gratuita, quæ cum satisfactione stare nequeat: tūm respectu summae potestatis & bonitatis Dei erga nos, cui satisfactio ista non parum detrudere videatur. 3. Objectio.

CXLIII.

Respon. Contrā, necessitatem satisfactionis Christi evincit partim immota legis divinae mortem peccatoribus minitantis veritas & constantia: partim essentialis Dei sanctitas & justitia, quæ violaretur, si Deus absque λύτρω peccatorem in gratiam reciperet: partim scripturae sanctae asseveratio, quod sine sanguinis effusione nulla fieri possit remissio. Heb. 9. v. 22.

CXLIV.

Non est autem ἐναντιότης, sed ἐναντιοφάνεια inter satisfactionem Christi & remissionem gratuitam.

CXLV.

Uttramque conjungit Paulus Rom. 3. v. 24. Justificamur gratis gratiā ejus (en descriptio remissionis gratuita) per redemptionem factam in Christo Iesu: (en descriptio satisfactionis.)

CXLVI.

Sic ad Eph. 1. v. 7. utrumque conjungitur: In Christo habemus redemptionem per sanguinem ejus (satisfactio) remissionem peccatorum secundum divitias gratiæ ejus. (remissio gratuita.)

CXLVII.

Quemadmodum etiam gratia Dei non destruit justitiam Dei: Ita gratuita remissio non tollit meritum & satisfactionem Christi, quam exegit justitia Dei.

CXLVIII.

Hinc Paulus mortem Christi expiatoriam ascribit gratuita dilectioni Christi. Rom. 5. v. 8.

CXLIX.

Nam & hoc summae & inestimabilis fuit gratiæ & misericordiæ, quod Deus alienam satisfactionem clementissimè accepit, quam juxta strictissimum justitiæ rigorem acceptare non potuisset: Ezech. 18. v. 20.

CL. Et

CL.

Et fuit ineffabilis charitatis argumentum, quod proprio filio non pepercit, sed eum pro nobis omnibus in acerbissimam crucis mortem tradidit, Iohan. 3. v. 16. Rom. 5. v. 8. cap. 8. v. 32. I. Ioh. 4. v. 10.

CLI.

Apud Paulum invenimus quidem oppositionem inter gratiam & meritum, Roman. 11. v. 6. Verum non intelligit meritum Christi, ut constat ex th. 145. 146, sed quodvis meritum humanum.

CLII.

Contrarium processum Photiniani tenent: opponunt inter se gratiam Dei & meritum Christi; contra meriti, propriis justificationem ascribunt.

CLIII.

Hypocritæ? itane gratia Dei cum merito Christi stare nequit; cum meritis proprijs verò optimè stare potest? quod tamen Paulus disertè negat, Rom. 11. v. 6.

CLIV.

Sed nec omnipotentia Dei satisfactio Christi quicquam detrahit. Citra satisfactionem enim non potuit nobis Deus peccata remittere; non ex defectu potestatis, sed ex perfectione divinæ naturæ, juxta quam Deus immutabiliter justus est, & est ignis consumens. Hebr. 12. v. ult. odio habens omnes, qui operantur iniquitatem. Psal. 5. v. 7.

CLV.

4. Objectio 4. Socinus in Commentario super Canonicam Iohan. pag. 19. scribit, in hoc dicto Iohannis non verum sanguinem intelligendum esse, sed metonymice novum foedus nobiscum à Deo sancitum, quod Christi sanguine confirmatum fuit.

CLVI.

Et Glossa hæc seipsam refutat. Novum foedus à Jeremia c. 31. v. 34. describitur per remissionem peccatorum: & sic in dicto Iohannis subjectum & prædicatum essent unum & idem.

CLVII.

Deinde nulla ratio nos cogit, cur literâ desertâ confugiamus ad tropum. Potius igitur contra fanaticorum spirituum furorem
fata.

satanicum in sensu literali pedem figimus, & per sanguinem verum Christi sanguinem, qui ex latere ejus effluxit, intelligimus.

CLVIII.

Frivolum est, quod Socinus affert, ideò novum fœdus per sanguinem esse intelligendum, quoniam istud sanguine Christi fuit confirmatum. Opponit enim ea inter se, quæ mutuo respectu coherent, & differunt inter se, ut meritum & meriti effectus.

CLIX.

Sanguis enim Christi innocenter effusus promeruit nobis remissionem peccatorum, Matth. 26. v. 28. Hebr. 9. v. 14. quam ob causam Paulus remissionem peccatorum sanguine Christi acquisitionem esse affirmat, Ephes. 1. v. 7. Coloss. 1. v. 14.

CLX.

Tandem ab omnibus presidis depulsi Photiniani curiosam rationem in 5. Objectio. consilium adhibent, & querunt, an non potuerit Deus aliam salutis viam invenire?

CLXI.

R. Ita olim Petrus Abailardus quærebat: Cur per sanguinem, quod potuit facere per sermonem? Sed respondet Bernhardus Epistola 190. Ipsum interroga, mihi scire licet, quod ita: cur ita, non licet. Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me finxisti sic?

Paulò antè. Ratio hujus facti fuit dignatio facientis. Quis negat omnipotenti ad manum fuisse alios & alios modos nostræ redemptionis, justificationis, liberationis? Verùm hoc non præjudicat hujus, quem è multis elegit, efficaciam. Et fortasse is præstat, per quem in terra oblivionis, gravedinis, lapsus nostri; tot & tantis gravaminibus Reparatoris fortius & vivacius admoneremur.

Paulò post. Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quoniam cum adhuc peccatores essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij ejus. Item: Intercedente morte unigeniti obtinutionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundùm divitias gratiæ ejus. Hactenus Bernhardus.

CLXII.

Etenim quid Deus circa salutem nostram faciat, non ex absoluta

D

luta


luta Dei potentia sive ex rationibus de possibili colligendum: sed unice ex revelato verbo discendum est. In hoc principio immoto acquiescimus, & firmiter credimus, si vel maxime Deus alium modum voluisset eligere, nequaquam talem elegeret, qui ab omni satisfactione alienus fuisset. Veritas enim Dei, justitia & sanctitas ejus immutabilis in lege patefacta alium modum non admisissent.

C LX III.

Nos hic receptui canimus, gratias agentes summo J E H O V Æ, quod infinito malo nostro infinitum remedium præparaverit, sanguinem nim. Filii sui unigeniti: gratias quoque agimus æterno Dei Filio, quod proprio suo sanguine nos redemerit: gratias agimus Spiritui sancto, quod immaculato Jesu Christi sanguine corda & conscientias nostras conspergat, perque illum nos justificet ac sanctificet: Precamur eundem æternum Deum, ut conserve nos in hac fide impollutos, & cordibus nostris perfectum peccati odium instillet, ne huic cœno rursus immersi Filium Dei pedibus conculcemus, & sanguinem Testamenti, in quo sanctificati sumus, pollutum ducamus; quæ profanitas & impietas acerbissimis vindicabitur supplicijs, Heb. 10, v. 26, 29.

Τῷ Θεῷ δόξα.





B.I.G.

Farbkarte #13



39

o Theologica
D E
ne Christi

λασικῶ.

i. Johan. 1. v. 7.

ornata &
λάμνη τῆ Θεῆ

rendæ & Amplissimæ
tis Theologica,
atiâ publica disqui-
ni subjecta

pnero S. Th. Lic,
verbi ministro.

ONDENTE
lomæo Maiero
ensi Tyrigetâ.

uarij loco boris q̄ solitis.
Christianæ 1621.

P S I Æ,
T JOHANN Glück.

Md098

